

H. Suec.

82

Suec.

82

Hift. chreiae. 63

Hift. Suee. 68.

32. Holzs. 52.5

ORATIO GLORIOSO NOMINI AUGUSTISS. PRINCIPIS AC DOMINI, DN. CAROLI XI. D.G.

Svecorum, Gothorum, Vandalo-
rumq; Regis, &c. &c. &c.

Et FORTITUDINI Ejus
Augustæ

Partæ inde, Divinis successibus,
Ipsis Nonis Dec. M. DC. LXXVI.
in Scania Ingenti Victoriæ,

Die CAROLI

A. M. DC. LXXVII.

ACADEMIÆ GREIFESWALDENSI
V. KL. Febr. semper-Festo & sancto,

Ibidem

in maxima Panegyri
publicâ Auctoritate
dicta dicataque
à

JOANNE ERNESTO Bfues/
Poës. & Eloq. Prof. Ordin.

GRYPHISWALDIAE
Typis MATTHÆI DOISCHERI Acad. Reg. Typogr. impressa 1678.



О. ТА. Я. О.
ГИТМОИ ОГОИЯ О. ГОД
ДИМОС ЗИФІЧНЯ Ф. ЗІРСОВІ.

ІЛОЯД. МО

ДОЛХ

— вільної діяльності
заснованої відомим

Е. Е. МІДІТІЯНІ
Б. А. І. А.

— вільної діяльності
заснованої відомим

ІЛОЯД. МО


ЛІЧКАДУ. Н. Г. ГІДІСАЛДЕНІ
— вільної діяльності
заснованої відомим

— вільної діяльності
заснованої відомим

ІЛОЯД. МІДІТІЯНІ

— вільної діяльності
заснованої відомим





Magnifice Dn. Rector, &c.

Non aliâ lege constant mortalia, quâm, perpetuæ vicissitudinis, interque tot transitus rerum, quibus agitantur hæc omnia inq; assiduo sunt motu, unus exi- tus tandem vel delectat verissimè, vel lœdit. Desinunt esse tristes tenebræ, ubi amœnior illas lux solvit: nec obtensa cœlo nubi- la, ac fœditas imbrium & squalor acerbam sui relin- qvunt memoriam, si jucundior aëris status latiorque succedat. Ipsa illa lucidissima mundi sydera fulgorem suum non rectius commendant nobis, quâm si abdan- tur quandoque & intra nubes recedant, mox svavius nitidiusq; proditura. Sed quis Euripus verò instabi- les æquè undas vehit? quod tam procellosum est fre- tum? quis aër tam turbidus ventis & vagus? atq; im- periorum illud mare tot vorticibus fluctibusq; solici- tatum, in quibus non alium sæpe invenit portum, quâm cui impingatur atque illidat. Et stant Regna, & cadunt ex nutu Altissimi: inq; partibus quoque non, rarò tanta inquietudo est, ut ab interitu abesse proxi- mè omnia videantur; sed unde explicita tamen, tanquam ex unica naufragii tabula, in novam iterum exsurgunt navem. Mâllem hìc aliunde magis, quâm ex nobismet- ipsis petere exempla detur: mâllem taceri posset at- que decoro tegi silentio, quod vulnera patriæ nimis al- tè impressa ultrò profitentur. Quâm antè hos aliquot annos pacata omnia potentissimæ Sveciæ! quâm his

A

pro-

provinciis quoque florida & lœta! cum alma faustitas
nos amplectetur, otium reficeret, atque suum opus
colonus, suum civis inter gaudia mera ac plausus exse-
queretur. At enim verò, quām pulcherrimum illud
quidem pacis studium, quodq; armis suis piissimis piis-
simus & ipse REX noster mandārat, quām illud pacem,
ā nobis longissimè abstulit, inq; gravissimum, arcano
quodam numinis arbitrio, mutavit bellum! ubi con-
surgentibus undique Hostibus convulsa pristina quies
nostra, labefactata gentis robora & vires tantūm non
fractæ: ut nunc vastitas latè incedat, ager jaceat & ne-
glectus calcetur, ædes laceræ ac dissipatæ Dominum,
suum, Dominus ædem desyderet. Eò nempe recidi-
mus calamitatis, quæ, cum sponte suâ se prodat ac ma-
nifestet, sileri non debeat; quamq; omnes fundi no-
stri ac prædia, omnesq;, quā incedimus, viæ, ubertim,
nobis & copiosè loqvantur. Inter crudas autem illas
ac sævas tempestates, quæq; totum nobis propè invol-
verant cœlum, (quod felix faustumq; sit!) divinæ beni-
gnitatis radius iterum affulxit. Exeruit sese sopita in-
pectore vel planè sepulta, aut subducta inde, ut hostes
quidem gloriabantur, Gothorū virtus: & prosperavit
iis DEUS victoriam, quā contunderetur simul ferocia
inimicorum, & cæforum antè ac profligatorum san-
gini atque miseriis parentaretur. Coronatus ita, qui
exiit annus, optato fini, iisdemq; faustis auspiciis in-
gressus alter inter lœtitias lubentiasq; reddidit nobis
heri, &, quæ religiosa ejus recordatio est, hodieque ac
semper reddit, Augustam C A R O L I & sanctam Lu-
cem, quæ, veluti quodam compendio, sperata omnia &
grata complectatur atque absolvat. Nempe providit
nobis indulgentissimè Gratia cœlestis, ut ne inter mi-
serias

serias abjecti aut oppressi penitus luctu, ore ægro lacri-
misq; madenti festivitatem istam malè prompti obire-
mus: aut duceremus saltem inde melius aliquod im-
posterum omen, ac spem vix satis fidā, è semper sinistro
metus augurio, animis conciperemus: sed ut præ-
sentis gaudio deliniti ac gratantes invicem, vota simul
pro optimo PRINCIPE solveremus DEO ac meritas
laudes. Cui uni devotioni (cum toti Academicæ so-
lennitati haut quaquam par sim) ubi vocem hanc me-
am commodo, ac verè extemporali istâ subitâq; dictio-
ne nuncasum vobis, Auditores H. prope est, ut indi-
gner mihi, quod nec in ista abundè sufficiam, & dum
improbitatis detrecto crimen atque tacere hodiè gra-
ve est, indisertæ audaciæ notam sustineam. Consola-
tur interim ex parte me, quod meditato carmini & ac-
curatis precibus non æquè, ac simplicitati orantium
Superi attendant; quodq; in communi isto mihiq; in-
juncto officio deserere me pietas Vesta, Auditores,
non possit. Nec præibo igitur verba, quām vobis for-
tè concepta sequar: nec flagrantissimum affectum ve-
strum, testem subiectissimi in optimum REGEM cultus,
superabo aut antevertam, saltem, quod ita voluistis,
interpretabor.

Qui in pulcherrimam delati imaginem, diverso cu-
pidinis ambitu nunc hoc, nunc illud amplectun-
tur & æstimant, ac collata in unum decora, prout quod-
que maximè advertit, colligunt sibi sensim & quasi se-
ponunt; totamq; semel emensi effigiem Penelopes in-
dustriâ repetunt subinde, & cum expleri satietate non
possint, semper ab integro ordiuntur, iterumq; ac ite-
rum novum oculorum captantes fructum. In ipsum
operis artificem similes, qui absolutissimum exemplar

A 2

& quan-

& quandam Normam animo volutans, quidquid ubique venerum & elegantiarum erat, eò transferebat, sollicitè, omnibus interim satisfaciens citius quam sibi; ut non revocaret crebrius ad penicillum & effingeret, probè peritæ quondam dextræ suæ monimentum. Sed quid omnis colorum fucus? quid lineamentorum concinna temperies, quam turbare manus, quæ disposuit, potest? quid totum artificii, quantumvis perfectissimum contextum, cui à tempore vel brevi maxima timenda labes? imò quid ipsius tandem corporis nostri viva & spirans venuſtas, quam obfuscare curæ, & levis febricula auferre in prædā queat? Quod si illa tamen ita distringunt nos, & divertunt voluptatem spectantiū, quid, quæſo, futurum est, si amabilem alicubi virtutum omnium concentum, si pulcherrimos vitæ actus colorēmq; omnem ſeqvaris animo tecumq; recenseas? Evidem in æternam virtutum possessionem labore omnes & studio immittimur; nec invidet ſe illa temerè cuiquam aut negat, facilis communisq; ingenii est: Principes tamen terræ, in iſto divinitatis, quod habent, consortio, condecorat in primis, quò in excelsō & ſupra homines collocati, hâc quoque gloriæ parte prætereant ceteros atq; excellant. Non caruit exemplorum vel ullæ ætas, & neq; nostrum Saeculum ſterile eorum prorsus ac expereſt. Sed (quod audiat fama, livor indoleat quoque!) Augustissimo Regi nostro ex ipſorum hostium judicio, cui amor ſuus officere nequit & ideò plurimū trahit ex vero, propria quaſi laus iſta, & peculiaris debetur. Nam cui non prædicata mirifica Ejus pietas? quâ SORTEM OMNEM ſuam in uno POSITAM DEO, ipsumq; PROTECTOREM SUUM in ſymbolis non ſolùm signisq; & nummis (in quibus quidem

quidem non difficilis pietas est) sed imò in consilio o-
mni, conatu & opere, ubique præfert. Cui non cele-
brata gratia Ejus? quâ non miseriis hominum ac pre-
cibus, vitiis saltem iisdemq; gravioribus adducit fron-
tem, admissionis facilimæ, affatûs blandi, comitatis
prorsus obviæ atque expositæ. Et cui non benignitas
Ejus in encomiis & laudibus? quâ ejectos fortunis iis-
dem reddit, humiles levat, afflictis opitulatur & publi-
co simul optimo & singulorum consulit saluti. Adver-
tistis facile, Audd. quâm hic transiliam omnia, atque
in istum campum subverear egredi; ne amplissimam
Annalium materiam levius hujus ineptè faciam & hora-
riæ dissertationis. Et certè obruor dicendorum co-
piâ, & nec initium facile, nec finem invenio. Ut & de-
signare solùm hic quædam necesse sit, & ut alibi mode-
rationem Regii animi, alibi Coronationis ceremoniam
ac decus; ita nunc porrò, ex omni Divino virtutum &
innumerabili apparatu, Fortitudinem saltem invi-
ctam probo ore & supplex delibare. Haec illam è
cœlesti Majorum Indole; quæ ex Gothorum, Palati-
norum Cimbrorumq; Heroo sangvine in Ipsum pro-
sperè deducta nil mediocre promittere, nil humile co-
nari potest. Nam èst ne aliqua tam surda fama, quæ
veteres illos populos nesciat? aut sunt ne prisca tam
rudes memoriæ, quæ facinora eorū, quibus terrarū or-
bem latisimè lustrâunt, non celebrent & canant? Ab
his autem abiisse penitus in transversum degenerem.
Nepotum turbam quis credat? ut nihil magnum mina-
ri, nihil aggredi memorabile ausint. Ubi crescunt ferè
semina in ortus suos, & surculus arborem fatetur, un-
de resectus. Quanquam solâ Avorum celebritate ni-
ti & domesticis superbire exemplis angusti pectoris sit,

B

& quod

& quod tandem terram adhuc parentem laudare sciat.
Quando ingentes animæ suis se dotibus metiuntur, nec
adeunt avitæ gloriæ hereditatem, nisi meritorum antè
adierint. In quem maximè morem Clementissimus
CAROLUS noster Palmas laureasque Augustæ Do-
mûs, quibus obvelatus stat undique, incitamenta ha-
buit virtutis; veneratus ita, ut sibi assereret, asserens
ita, ut imitaretur. Evicta enim primæ ætatis teneri-
tudine & Herculeâ veluti vi superatis molestiis, quæ
Principum non minùs Regumq; cunabula, in illa com-
muni nascendi sorte, ac plebis premunt, pro nutricum
cantu atq; deliciis, quibus molliùs ferè infantes, quàm
prudentiùs fortiusq; habemur, lituos tubasq; & ful-
mina scloporum cæpit amplecti. Admotus quidem,
confestim sapientibus literis & sub prudentissimo Mo-
nitore, cui omnes ceteri Principum juventutis For-
matores facile concedant, inter illa adolescens clarissi-
ma studia, quæ polliceri saluberrimum Principem &
dare; quæ instruere Regium pectus ad quemvis fortu-
næ habitum, & Artibus togæ pariter ac sagi implere
possent. Non detrahimus hîc militum gloriæ, est in
campo virtuti, est telis locus: nec alio munimento
quies gentium & salus constat. At quid sunt arma fo-
ris, si non consilium est domi? Quod ferrum in manu
furiosi & Cyclopis pinus, ex verissimo Poëtæ commen-
to, ubi lumen ademptum fronti est. Ruit mole suâ
imperium, cui non subest ratio, & turbantur, verèque
miscentur, non geruntur acies, nisi prudentia illas mo-
deretur & regat, nisi tuta arma consiliis & prospera
reddantur. Accipiat ista verò à libris Princeps, prom-
tuariis istis antiquæ industriæ, eosq; non expeditionū
solùm suarum habeat comites (ut Homerus aliquis

Alexan-

Alexandro, & Xenophon Scipioni assit) sed & imprimis juventæ suæ moderatores. Cui si accedat postea spectata Magistri fides, quæ dirigat aureum germen in justam proceritatē & flexili animo alimenta præbeat, quām id non in omnem vitæ pōst valeat usum? quām non succurrat in tempore, istis semel quod annis fidelius hæsit? Ac inde quidem transeat ad arma tener Ascanius, verumque laborem discat sub simulacris primò bellorum, & castris quibusdam meditamentis. Ita enim & in lacubus priùs nautæ explorant remos, & gubernaculi regimen in flumine periclitantur, quām maris e immittant & sævissimos ejus fluctus porrident. Non aliter se composuit & gessit Gloriosissimus CAROLUS, non aliter se aptavit publico, cui præficiendus imposterum pro Patre erat. Sedere in eqvo decorè, leviq; freni admonitu in gyrum eundem flectere rectumve cursum; aut etiam in fractos passus saltumq; modulatum, pugnæ adeò & pompæ attemp rare, in remissionibus habitum. Porrò & vibrare masculè hastam, rotare ensem, cludere alacriter ac inferre ictus, omnes petendi vitandiq; artes complecti, curæ hautquaquam secundæ fuit. Dum instrueretur interim imaginarium certamen & infestis in speciem signis concurreretur utrinque: quæ tum oculorum in Principe flamma ac vigor? quæ gubernandi ubique peritia atque Majestas? imò quis labor insolitus juxtà invictusq;, quæ pugnæ constantia, quæ victoriarum certitudo? Aggerebatur vallum alibi & subitarium surgebat opus, quod perrumpere Princeps juventutis, dejicere propugnatores, eniti, tueri ipse atque defendere. Nec hic cum Pastoritio aliquo commissus gregę, quibus auferre victoriam & Regem cum Cyro agere, quid

B 2

magno-

magnoperè attineat? nec ad nudum stipitem & medium palum robur suum expertus, ubi audendum plurimum & timendum sit nihil: sed cum armatæ nobilitatis flore & ipsis bellorum prætoribus ita congressus, ut superaret. Conferte huc corollas vestras veteres Athletæ, quas loquax sæpè manus vobis, aut alias jocularis parumq; virilis corporis motus, vel saltata nefcio quæ fabula & circus dedit. Est hic, qui dignius capiat, qui non effœminatis Artibus istis emolliit Excelsum animum & fregit, sed Heroum veterum instituto ac disciplinis se maximæ Fortunæ suæ docuit param. Saltu cum agilibus, cum velocibus cursu, cum robustis vecte contendisse, inter Pompeji elogia Salustius reponit: sed quæ certè talia non sunt, cur Magnus diceretur. Nam quantum est, quæso, ingenioso pede perstringere terram & mox emicare in altum, vel etiam in Romano ludicro ineqvū se promptè conjicere, & pari perniciate desilire? Volitare porrò per aper-ta camporum, & vel ipsis parasangis alterum prævertere: aut ad perticam ac sudem deponere rudimentū, omnemq; periodum tandem absolvere & planè esse qvinquartionem? Ad corporis indurandas id faciat vires, quibus & ignobilis quisque facilè eminet, ad belli quoque munia quædam, sed viliora, conducat: animum invictum præsentemq; periculis, & unde fortis aliquis ac magnus est, probare non possunt. Cujus tamquam quām certum, quām efficax, quām magnificum, argumentum erat (aut potest ne quoddari illustrius?) cernere justum certamen, pugnasq; tantùm non serias committere; agere vineas, subire, tenere fastigium, præsides loci depellere; vel è contrario sustinere obsidionem, asserere, telis nec quidquam ingestis castrum eripe-

eripere. Sunt nonnullæ hīc corporis, confiteor, partes: mentis tamen longè maximæ sunt, ejusdemque sublimis, quæ provida occasionum & sagax astimet omnia, fortissima seqvatur; atque ausa semel, cedere porrò nesciat ab ipso hostium sumens vires animosq; ferro. Talem nempe habemus Invictissimum CAROLUM, Audd. quæ nostra felicitas & hodiernum gaudium est: talem se domi forisque, in umbratili non minùs, quām verissimā acie præbuit. Nam quid ego nunc porrò commemorem? quām excurrere in sylvas per otium, soleat, in illa scilicet bellorum schola obfirmatus cœlestē pectus, & ex tot officiorum curarumq; turbavatur aliquantulum sibi. Habent hoc Nobiles animæ, ut cunque se laxent laboribus, non solvunt tamen: sed impetrantes otii locum isti se tradunt quieti, quæ reficiat modicè, multumque occupet. Syderum, arbitror, in morem, quæ jugi agitatione se asfiduè commovent, & ubi stare videntur nobis, eundem saltem cursum ab integro ordiuntur. Jam quid imperatrices Potestates nisi Lumina orbis sunt, quæ fulgorem suum, qui illas plenior ambit, fœnerantur subjectis, & dum, indesinenter se publico impendunt, quædam non-maxima negotia in ipsis remissionibus habent. Reperta, eo fini iis venatio est, ubi odoratore cane ferarum indagant vestigia, excutiunt latibulis, in obtensa saltibus retia compellunt, impediunt, occupant: aut si fugâ se subtrahant, imminent supernè; quandoque, ubi vim opponunt, cum spumante apro, aut cervo cornu-pe-ta, ceu oblato hoste, congrediuntur. Feralia timidorum sunt arma, qui, dum ad extrema redacti, extrema quoque conantur, atque ex ipsa desperatione novam, sibi spem quærunt. Cui verò ignara bestiarum rabies,

C

& quām,

& quām, elabendii viis præclusis, exacuant in necem, dentes, & ungues suos ad laniatus expediant? ut exire illarum furorem, felicitas sit; dejicere etiam ac sterne-re, non contemnenda victoria. Stetit pulcherrimè toties in ista palæstra Fortissimus REX noster: sed ut ampliorem arenam virtus Ejus expeteret, renitente, quidem leniter & veluti deprecante Bonitate. Prælia quippe ardere ac pugnas, intrepidi Ducis est: sed pa-cem, illam opulentam rerum, vel Triumphis præferre, mitissimi REGIS. Medium hīc iter pergere tutissi-mum, quod timoris pariter vacuum atque audaciæ: ut nec provocet bella Princeps, nec fugiat; quorum neu-trum ad summam proficit optatæ tranquillitatis. Illud periculo nos exponit, & hoc neglectui; nec dee-rit postea, qui quietos & detrectantes certamen per ludibrium lacescat. Quām verò nihil hīc pœnitendum admisit Clementissimus CAROLUS! Fortunam Im-perii sui in consilio habuit, cum lentè cunctanterq; ad arma procederet, induens tandem novissimè, novissi-mè etiam, precamur, & cum Gloriâ positurus. Tume-bat bellis Germania, vetus theatrum discordiæ, & mandaverat ille ibi ex suo auspicio administranda, cum circa ipsum serpere propius hoc malū cæpit, & vicinas sibi provincias corripere. Ingemuisse, credo, tumultibus, hæc enim pietas Ejus est; nec sedendo tamen & inspectando potuisse transmittere, quod infractum, animi robur. Didicerat enim jam olim non oblucta-ri fatis, quæcumque obvenerint, sed ferre; Sed nec prodere populum suum, verùm tueri. Non privati judicii est, causas refellere, quæ maximè se dederint, Daniæ vicinæ, ut commoveret in nos arma, spretisq; illorum remediis, tanto proposito inniteretur. Quan-do

do post atrocissimum illud navale certamen, in quo
non virtus nos, sed fortuna cunctis rebus potentior ad
extremum deseruit, (Cyclades jurâsses corruere, tan-
ta belli moles erat) prima Scaniæ quietem solicita-
vit, & veluti torrente quodam, ita militem infudit, per
hoc latus ipsius Regni viscera petitura. Interceptæ hoc
subito fulmine urbes quædam, vindicatæ deinceps, acti
peculatus, datæ strages, & quæ non damna armorum
insolentia invexit! Dum & nostræ sensim adductæ co-
piæ, inq; transitu & ex itinere Helmstadium liberatū,
quatuor millibus Danorum in pretium operæ, nec si-
ne signorum machinarumq; ingenti jacturâ, cæsis. Sed
detrectaveret de cetero aleam Dani, quam ipsi jecerant,
& utcunque insequeretur Strenuissimus REX noster,
nancisci tamen non potuit, atque imponere illis pu-
gnandi necessitatem. Fabii quippe Artibus, ut vi-
sum, fatigandi eramus, & viarum tandem fessi, ipsa il-
la lassitudine conficiendi, debellandi inopiâ. Dum Ho-
stis interim, ut erat callidus temporum, novas sibi vi-
res opesq; jungeret, & vel peregrinam in supplemen-
tum assuineret manum: quæ omnia isti, quâm nobis
oportuniora. Illi in propinquo subsidia, sed procul
nobis: super hæc & tuta insederat ac caverat sibi loco,
cum cuius iniquitate nobis propè conflictandum. Fi-
gebantur tamen denique castra, ut flumen utraque
dirimeret; & apparebat tum omnia, percurato levi-
ter milite, ad arma spectare & aciem. Cum traheretur
nihilominùs certamen, nisi quod velitationibus quan-
doque antiqua Gothorum explorata virtus; semel &
per furtum noctis vigiliæ illorum in ipsis castris, nec
impunè, tentatæ. Non differri tamen longius debuit,
ingens negotium, & cui fata utriusque Nationis impu-

tanda erant; nec solicitari fortuna, quæ multorum
Annorum magnorumque Annalium opus in aliquot
breves horas decreverat conferre. Sed quanti peri-
culi fuit, aggredi valentes & integros, aliquot succes-
sibus latoꝝ ac feroꝝ; quin numero jam superiores, &
in quibus tot fœdera, tot auxilia pugnarent? Certè
se miscuit h̄ic Divinum illud & omnipotens Numen,
& inspiravit consilia, ardoremq; ac impetum addidit,
ut conarentur atque auderent. Transmisum est flu-
men, quod jam concretum gelu deportandis dorso suo
bellis, & recipiendo quantumvis maximo oneri erat,
atque nocte sociâ, haut procul ab Hostibus ordinata
acies. Fallebat umbris ignavia & virtus: sed ubi red-
dita lux est, copiæ nostræ in oculis, quas jamdudum di-
lapsas metu crediderant & ob id immisis speculatori-
bus inquireendas. Tum verò & Hostis tollere clamo-
rem, canere signa, potestatem sui facere. Stabat uter-
que exercitus duratus frigoribus Septentrionis, fer-
roq; ac ære, verissimo illo bellorum ornamento, coru-
scus undique ac gravis, & in eventum animosâ expe-
ctatione defixus omnibus venis colligebat iras, quas
mox in hostis sui capita, ad procellæ instar, effunderet.
Nec deerant muniis suis maximi Ductores, Reges Po-
tentissimi, quos magnus ille & decretorius dies pri-
mùm ita conjunxerat, non in animorum dextrarumq;
nexum, quod mállemus, sed acerbissimam contentio-
nem. Salutabant invicem, (nî fallit fama) memores
scilicet Majestatis suæ, quæ omni offensâ superior;
quamvis nutu strictissimi mucronis, ut in isto campo
deprehensi: tractabant suorum animos, intereqvi-
tabant, his majorum suorum facinora, illis causæ justi-
tiam, omnibus Fortitudinis Regiæ exemplum & imi-
tatio-

tationem subjiciebant. Instructæ ita movebantur acies, utque è declivibus ad altiora agmina nostra ducentur, obliquare illa ac flectere visum est, dum eò subirent, ubi Londino ex parte tegerentur, atque à tergo quædam esset securitas. Credo Musas istius Heliconis, cum Fundatorem atque Nutritium suum non minùs ac nostrum, Fortissimum illum CAROLUM, generoso invectum eqvo & latè agentem imperia cernerent, flevisse præ gaudio, ac pro felici exitu Tyrtéum, aliquid carmen accinuisse. Vix autem ceperant locum nostri & fixerant gradum, ubi à præmissis manipulis coortum certamen properè in omnes desæviit. Leones Aquilonis, non homines dices consertos. Vulnera, cædes, terror, furorque miscebant omnia. Hinc spicula, illinc tela, globorumque ferreus imber volitabant: ac præ fumo & pulvere, fragoribusque & strepitu aurium pariter ac oculorū cesabat usus. Concurrebat tamen ex ordine adq; notam vocem: sed uti in sinistrum hostium nostrumque dextrum cornu longè gravissima impressio fieret. Diu pugnatum accerrimè & marte dubio, dum pro se quisque tueri Regem suum (qui illic uterque stabant) aut in ore ejus gloriosius oppetere pulchrum ducebat. Tandem agnovit vim Gothorum ad extrema invictam hostis & cessit. Inhæsit illi REX Gloriosissimus robore militum suorū ac ipso flore succinctus, magnâq; datâ strage, exceptisq; quām plurimis, persequi longi⁹ fuit religio, quos formido ac metus in obsequentem nobis amnem præcipitabat. Evasere paucissimi: plerique, quibus ferrum peperceraut, aut captantium dextræ, hausti istis gurgitibus non cruentâ quidem, sed nec siccâ morte perierunt. Pars tamen, dum ceteri fugiunt, ad alte-

D

rum

rum & dextrum cornu digressa erat, adeoq; auxerat numeros, ut duo hostium uni nostrum certarent; Parumq; abesset, quin virens jam in manibus Augustissimi REGIS nostri palma ab illa parte amitteretur. Certè iniq; vior h̄ic paulò fortuna visa est, cujus mox tamen ipsam pœnituit. Expectabat quippe REGEM, cui se totam addixerat, ut quacunque incederet Ipse, semper felicitas Illum atque victoria seqverentur: cujus & erant participes, qui proximè adhærebant fortunæ E-
jus, Famæ Regiæ ministri & gloriæ. Inclinaverat jam nostra in fugam acies, & in ore adhuc præliantium langor metusq; eminebant: cum superveniens Rex noster lapsas res suorum restituit, reliquias hostium dissipavit, fudit, areâ belli totâq; penè provinciâ expulit. Arma, signa, omnes machinæ, omnisq; militiæ apparatus præmium victoriæ fuit: eâdemq; ut plenius frueretur exercitus, spolia ipsi hostium relicta, nihilque ex iis Victoriosus noster CAROLUS, quâm lauream suam decerpsit. Parum plerique adversus fortunæ obsequia cauti sunt, nec æstimant instabiles ejus vices, dum blanditur & fovet. Unde & evenit, ut sâpè hostium, victores se vicissim sævitiæ suæ præbeant vincendos, in que miseram captivorum & inermem turbam ferro ac flammis grasantur. Par in utraque fortuna animus AUGUSTISS. CAROLI, h, e. verè invictus ac fortis. Nihil in victos durius voluit consultum, habuit, benignè, & renunciantes sanctè hostilitati sine pretio quoque dimisit. Tanquam parum strenuus esset, nisi & clemens; nisi mortem promeritos vitâ, libertate, patriâ donaret, & ex hostibus sibi faceret amicos. Malè tuta victoria est, in corpora sola quæ exerceatur; ad animos quoque pertineat necesse est, sed quos una boni-

bonitas vincit. Verè ergò vicit vinxitq; Gloriosissimus CAROLUS, quos ita sibi in perpetuum devinxit, ut nullâ lege ab amore solvi queant, cùm maximè à servitute in præsens soluti. Et amplectentur hi certè confessionis istam Gloriam suisq; posteris tradent, propagandam deinceps ad seros nepotes, meruisse R E G E M Benignissimum, ut vinceret; meruisse, ut victoriæ Ipsi & Triumphi continuentur. Donet Illi hoc, ô donet! gratia cœlestis; unde omnis illa nobis prosperitas, & hesternæ hodiernæq; Carolinæ lucis lætitia est. Nam et si non dissimulanda Præfectorum militumque solertia sit, quâ, ut se dignos præberent tanto R E G E, aduersus arma hostemq; intrepidi, durissima quæq; & aspera adierunt: tamen omnis conatus, omnisque successus, partumq; decus omne merito suo Numinis refunditur. Tibi, inquam, ô invictissime, æterne & omnipotens D E U S. Tuæ sunt victoriæ, Tui Triumphi. Tu existi consilia, inspirasti animos, obarmasti manus, successum addidisti. Tu solus es, ô D E U S, qui sanctissimo R E G I s corpori applicuisti Angelos custodes, qui inter tot hostium tela salvum nobis sospitemque servarent; qui plumbeam glandem, quæ jam Eqvū perstrinxerat, perq; capillos decurrerat Delicii illius nostri, tam vicino Ipsi, nobisq; imprimis periculo, fortiter prohiberent. Tibi debemus, quod hostis terrore, metu, formidine impletus; quod pons glacialis illi ruptus, non nobis: quod fusus fugatusq; & totis tandem castris exutus; Tibi, quod redditи nostratis labantes animi, quod reparata victoria, quod prælia aliquot insuper victa: omnia hæc & longè plura, omnia, Tibidebemus, referimus. Veneramur Te propterea & colimus hodiè, celebramus nomen Tuum: parentes

liberis, liberi posteris cantabunt ac tradent, nec inter
nos gratia illius facti unquam abolescet. Sed fave be-
neficiis, quæ ipse tribuisti, & superadde perpetuitatem.
Pro Optimo R E G E & Patre, pro CAR O L O XI. no-
stra solicita pietas est. Quæ cum nôllet Tibi in omni-
um ore loqui confusè, publice ego Tibi hîc ejus inter-
pres & supplex asto. Admitte preces nostras & audi.
Protege, custodi & serva nobis hoc Tuum Depositum,
A U G U S T U M C A R O L U M XI. Nulla maligna vis
ad Ipsum penetret, nulla solicitudo premat. Fons bo-
norum inexhaustus es: da ergò & dona. Da, preca-
mur, sperata, da optata omnia. Da felicia arma nostro
C A R O L O, da victoriarum glriosum cursum. Ma-
ximum cœli munus Bonus Princeps est: Da porrò &
conserva nobis propitium ac bonum, hostibus formi-
dabilem. Illum Majestatis, & in te pietatis, in nos
Clementiæ vultum, quo mihi hîc ponè imminet & de-
voto ore suspicitur, Illum verò imbue flammis victri-
cibus, ut oculo suo terreat legiones inimicas ac fuget.:
vel da potiùs auream Illi nobisq; pacem; sed decoram,
sed fidam, sed constantem. Quæ almâ ac perenni fau-
stitate Regna Ejus ac ditiones, hancq; Provinciam &
in ea Urbem nostram atque istam Sapientiæ Arcem ac
sedem dulcissimè amplexa, totiesq; & toties, semperq;
sub novo lætitiæ argumento, reducat nobis C A R O-
L I N A M Lucem, Festam perpetuò & sanctam,
postorisq; memorandam.

D I X I.




Göb-Lied/ so letztlich vom Auctore in eys beygefügert.

Das funckelt im Dunkeln so lieblich uns zu/
zu mahlen mit Strahlen die Felder und Auen?
helleuchtender CÄRLEN-Stern bist es
(nicht du?)
o gieb uns dein schönes Licht näher zu schauen.
Ihr Fackeln des Himmels/ befodert den Lauff/
Entfliehet und ziehet von nächtlicher Wache/
es zäumet die Sonne die Pferde schon auff/
dass sie uns ein freudiges CÄRLEN-Fest mache.
Seh dreymal willkommen du edelstes Licht/
du bringest Erquickung und reiches Ergezen/
vermagst uns alleine/ wenn alles gebracht/
aus Leyden in Freuden und Wonne zu sezen.
Wir stimmen ein jauchzendes Jubel-Lied an/
und lassen die Sçyten von weiten erklingen/
es eilet ein jeder/ so gut er nur kan/
der Treue Pflicht-schuldiges Opffer zu bringen.
Da sieht man des Alters erstorbenen Geist
ermuntert in CÄRLEN erwärnenden Flammen:
dort thut sich/ was Jugend und kindisch noch heist/
mit Männern geübeter Sinne zusammen.
Hier lallt sichs/ da spricht sichs / da singet ein Paar/
dort hört man ein muhtiges Harpffen-Gethöne/
der Musen drey-dreymal beschwisterete Schaar
frolocket/ und alle getreueste Söhne.
Auch Echo/ das Lust-Kind / spielt selber mit drein/
es schicket erwiederte Sylben zu rücke /
dass unser Beginnen nicht einzelmusß seyn/
und was wir jetzt wünschen/ ein doppelt Gelücke.

E

Groß-

Großmächtiger Noorden-Held / hūntisches Pfand/ E. Pfand
du ô außerwehltes Geschlechte der Götter/ E. der Götter/
des Eugend Süd/ Ostien/ Nord/ Westen bekand/ E. bekand
ein Schrecken der Feinde / der deinen ein Retter; E. Retter/
Wie tapffer! wie warstu so muhtig im Streit! Echo. im Streit
wie blixten in Schonen dein Rach-Schwerdt und Waffen! E. und
wie reichlich vermochte die treffliche Beut (Waffen
den Feinden den Unmuht/ uns Freude zu schaffen! E. zu schaffen:
Sie gaben den Rücken und räumten das Feld/ Echo. das Feld
da deine Standhaftigkeit solches erhalten/ E. erhalten:
man sahe mit Wunder dich sieghasten Held/ E. den Held
jetzt Führers. jetzt Kriegers-Platz rühmlich verwalten. E. verwalten
Doch mischte sich Güttigkeit unter dem Grim/ Echo. im
der dir sich Ergebnen in Schonen zu schonen/ E. schonen/
Sey gnädig: war dennoch der Lindigkeit Stim/ E. im
ob wol die Gerechtigkeit reizte zu lohnen. E. lohnen.
Bleib immer so gütig/ bleib immer gelind/ Echo. Gelind
Du Sonne/ Du Wonne/ Du Krone der Zeiten; E. Zeiten
es müssen die siegenden Waffen geschwind E. geschwind
uns Edelen Frieden und Ruhe bereiten. E. bereiten.
GODE gebe Glück/ Leben/ Gesundheit und Heyl/ Echo. Heyl!
es treuffle der Himmel dir lauter Gedeyen/ E. Gedeyen!
er selber sey endlich dein erbliches Theil E. erblichs Theil
laß aber indessen uns lange dein freuen. E. dein freuen!



Hist. Suec. 82

